



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Archiepiscopi Gnesnensis de Societate opinio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

ta fere Societate postulauerat, & impetrauerat; tamen vt nouos adiungeret precatoresex ipso conuentu, sedulo cunctos, qui Petricouiam conuenierant Sacerdotes, adiuit, excitauit, edocuit. Ipse nominatim ob eam causam ter decies sacrum fecit, quæ gratiarum Missæ dicebantur ab Innocentio Quarto, vt putabatur, institutæ. Ad eamque præcandi rationem, tum alios Sacerdotes, tum ipsum Nuntium inuitauit. Deinde Varmiensis Episcopi Stanislai Hosij Dialogum de communione sub vtraq; specie: deque Coniugio Sacerdotum, cum iam exempla deficerent, temporiq; disputatio per apposita esset, recognouit, præloq; vulgandum curauit. Interim ætate iam præcipitata Gnesnensis Archiepiscopus Nicolaus idemque Regni Primas extinguitur: sufficiturq; Regis Procancellarius, qui iam destinatus seni, traditusq; erat adiutor Ioannes Przerembius prompta vir prudentia, & ad res gerendas in primis aptus. Ei, vt occupatissimo, dum Societatis notitiam per libellum tradere meditatur Canisius, præuertit ille, Patreque ad se accersito, post egregia humanitatis documenta demonstrat, nullam hæere sibi curam potiore, quam de Collegiis Societati in Polonia

*Hosij libros
edit.*

*Archiepiscopi
Gnesnensis de
Societate opi-
nio.*

excitandis: nec existimare Archiepiscopalis functionis, quam aditurus esset, primitias auspiciare alia re feliciter consecrari posse. Denique persuasum habere ea potissimum via cum iuuentutis clero suo consultum iri. Itaque Canisius pro pietate, rei que momento susciperet causam, ageretque cum Præposito, ut in æstatem proximam festo numero ad se familia mitteretur, cum qua Christi benignitatem, & ipse redire ne grauetur. Quæ ad humanos usus necessaria forent, curæ sibi futura. Complexus est toto pectore procurationem Canisius, egitque accuratè. Subtæ tamen causæ fecere, ut pia tum illius, tum Archiepiscopi vota lentio rem exitum sortirentur.

1559.

Nouus iam annus labentis seculi vnde sexagesimus aduolutus erat & Cæsar instabat, ut Augustam Canisius properaret. Et quidem Pontifex doctus à Patribus Romæ, quid proficere alibi posset, potestatem Nuntio fecerat hominis dimitti. Sed Nuntius carere se tali præsidio, solatioque negabat posse. Quippe cum magnis vrgeretur angustiis etiam rei pecuniariæ, bonus senex in sinum fidelis comitis onus animi deponebat, singularique illa pietate, ac modestia, non modò sapien-